



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

166. Parabola decima septima, De captando inter convivas ultimo loco.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

D. N. IESU CHRISTI. 153

ad illos : Contendite intrare per angustam portam ; quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cùm autem intraverit paterfamilias, & clauferit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes : Domine, aperi nobis : & respondens dicet vobis : Nescio vos, unde sitis : tunc incipietis dicere : Manducavimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. *Luc. 13. v. 23. 24. 25. 26.*

II. Et dicet vobis : Nescio vos, unde sitis. Discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus, & stridor dentium : cùm videritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. *Luc. 13. v. 27. & 28.*

III. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro : & accumbent in regno Dei. Et ecce sunt novissimi, qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt novissimi. *Luc. 13. v. 29. & 30.*

MEDITATIO CLXVI.

Parabola XVII. De captando inter convivas ultimo loco.

I. **D**icebat Iesus ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubi-

tus eligerent, dicens ad illos: Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo: & veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. *Luc. 14. v. 7. 8. 9.*

II. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco; ut, cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. *Luc. 14. v. 10.*

III. Quia omnis, qui se exultat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. *Luc. 14. v. 11.*

MEDITATIO CLXVII.

Parabola XVIII. De computandis sumptibus ante fabricam turris, & ante bellum.

I. **Q**vis ex vobis volens turrim ædificare, non priùs sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum: ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? *Luc. 14. v. 28. 29. 30.*

II. Aut